



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 41. Henrici V. obitus. Lotharius II. Rex Germaniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

ut ipsorum Episcopus esse dignaretur, con- sœcul. XII.  
stantem & promptissimam obedientiam A.C. 1125.  
pollicentes, atque id ipsum Vir Sanctus  
animo constituerat, sed Clerici Bamber-  
genses aliud persuaserunt. Rediit au-  
tem per Poloniā, cujus Regionis Dux  
toto itinere omnia præstítit, quæ amicus  
sincerus amico exhibere possit, & Episco-  
pum Pomeraniæ nominavit Albertum, ex  
tribus suis Capellani, quos Ottoni so-  
cios dederat, alterum. Tandem Otto,  
postquam uno ferme anno absens fuisset,  
ut proposuerat, ante Dominicam Palma-  
rum, hoc anno millesimo centesimo vi-  
gesimo sexto in quartam Aprilis inciden-  
tem, Bambergam pervenit. Hæc narra-  
tio ex quodam illius in Pomeraniā iti-  
neris socio, qui vitam Ottonis conscri-  
psit, excerpta est.

### §. XLI.

*Henrici V. obitus. Lotharius II. Rex  
Germaniæ.*

Inter hæc Germania alium Dominum  
sortita erat. Quippe Henricus V. Im-  
perator Ultrajecti, Sabbato post Penteco-  
stem, vigesima tertia Maji, anno millesi- *Dodech. an-*  
*mo centesimo vigesimo quinto, e vita* <sup>1125. Rob.</sup> *de M. anno*  
*excessit, postquam imperasset annos no-* <sup>1120.</sup> *vemdecim, & Spiræ tumulo illatus est.*  
In eo extincta est Stirps Saxonica, quæ  
ab Electione Henrici Aucupis annos du-

N n 2                    centos

**Sæcul. XII.** centos & septem Regnum tenuerat, nam  
A.C. 1125. Henricus V. nulla prole relicta obiit.<sup>(\*)</sup>  
 Principes autem Imperii defuncto per  
**Otto Fri-** electionem subrogarunt Lotharium, qui  
**sing. VII.** Titulum Ducis Saxonie assumpserat ob  
**Chro. c. 17.** Rixam uxorem suam, a patruo S. Henri-  
 ci genus ducentem. Sed ipse Patre Geb-  
 hardo, Comite *de Supplimburg*, natus  
 erat. Is Moguntiæ trigesima Augusti in  
 conventu Episcoporum & Principum,  
 præsentibus Sacrae Sedis Legatis, electus,  
 & Aquisgrani, die Dominica, decima  
 tertia Septembris, a Friderico Archiepi-  
 scopo Coloniensi, præsentibus iisdem  
 Legatis, coronatus, annos duodecim See-  
 ptrum rotavit. Lotharius Secundus, ob  
 Lotharium Caroli Magni nepotem, dici-  
 tur.

§. XLII.

(\*) De Henrico V. Palatins Lib. XIX. cap. 2.  
*Trajecti agens, diu celatam corporis infirmita-  
 tem diutius tegere non valens (morbum vocant  
 Dragunculi) qui illi nativus erat. Reginæ Ma-  
 thildi ac proximis detexit.... Sicque Viatio-  
 co Christi, cæterisque Ecclesiæ Sacramentis mu-  
 nitus diem clausit extremum.... in dimidio  
 dierum suorum, quod illi fertur Papa Paschalis  
 prædictissime. Nam neque prolem vidit, neque si-  
 nium attigit, neque temporum meruit tranquilli-  
 tatem.*